Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 777
Quelle:
Copyright:

ubi notant *Mauriani*, illum jam in *Cod. Remig.* 700. annorum *Augustino* tribui.

IX. *fol.* 16. p. 2. *Incipit sermo sancti Augustini ubi increpat* (ur) *qui diu iram in pectore retinet et non uult humiliari.* Initium: *Omnis Homo qui uult de inimico suo uindicari* &c. Est *Sermo LXXIII. ad Fratres in Eremo* T. VI. *col.* 377.

X. *fol.* 17. *De Decimis.* Initium: *Scriptum est Fratres domini est terra et plenitudo eius. Serui domini sumus pariter et coloni* &c. Reipsa *Sermo* LXXVII. *Caesarii*, rejectus in *Append. T. V. Aug. col.* 460. verum multum interpolatus, et jam in *Edit.* jam in *Cod.* plenior; in *Cod.* tamen deficiens in his verbis: *Nemo te fideliter redimit. quia tu te redimere noluisti.*

XI. *fol.* 18. p. 2. *Sermo eiusdem. De futura uita cogitandum.* Initium: *Fratres karissimi. quod audiuimus dici ut sursum cor habeamus spe fit* &c. Pars est *Sermonis de Ascensione Domini*, quem *Mauriani* e vetustissimo *Cod. Remigiano* erutum *Augustino* tribuerunt T. V. *col.* 1521. Fortasse tamen non nisi e variis *Augustini* cogitatis consarcinatus est. Ita expositionem loci *Actor.* IX. 4. *Saule, Saule! quid me persequeris* &c. et similitudinem de uno alterius pedem calcante eandem habet *Augustinus Serm. CCCXLV. de Contemtu Mundi. T. eod. col.* 1336.

XII. *fol.* 19. *De Oratione Dominica.* Initium: *Fratres diebus istis quos agimus obseruatione uite nostre quamdiu uiuimus. admonet nos scriptura diuina* &c. Difficile quis ex hoc initio arbitretur *Sermonem* hunc esse *Augustini* CCXI. *In Quadragesima* VII. T. V. *col.* 933. inscriptum: *De fraterna Concordia et condonatione offensarum.* Verum integer non est; post verba enim: *et utinam eradicet illa deus de agro suo id est de cordibus uestris*, sequuntur aliunde congesta monita de Dilectione, Pace, Officio Sacerdotum, quae in *Augustino* non reperi, quaeque incipiunt: *Diuina uox est. inueniam quod dimisi. Plantare radicitus dei est. euellere penitus inimici* &c. Nec adeo bene cohaerent.

XIII. *fol.* 21. *De Diuite.* Initium: *Quem enim diligit deus corripit. flagellat autem omnem filium quem recipit. Igitur si omnem filium ad hoc flagellat ut corrigat* &c. Est Pars posterior *Sermonis* LVI. in *Append.* T. V. *col.* 103. quam notant *Mauriani* in quodam *Cod. Victorino* pariter sine Parte priori inveniri, et *Caesario* inscribi. Observa, quam ineptos et indagatori molestos Titulos Laciniis hisce suis praefixerit Librarius noster.

XIV. *fol.* 23. *De natiuitate domini.* Initium: *Audistis Fratres Quemadmodum nobis hodie euangelista generationis christi retulerit sacramentum* &c. Sermonem hunc non spernendum neque apud *Augustinum*, neque alibi invenio. Prosequitur ille: *Christi inquit generatio sic erat. Cum esset desponsata*